



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 13. Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad
principes Sacerdotum & ait illu. v. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine, quidquid sum, quidquid habeo, aut possum totum sine ulla contradictione aut exceptione, totum, inquam, fundo lubens pro te, totum id tibi consecro, deo voo in corpore & in anima, extra & intra, totum do & reddo tu accipe me & omnia mea, sicut accepisti unguentum hoc ab hac persona, atque utinam posses maiori cum liberalitate, amore, lacrimis cordis & corporis me offerre! ne igitur despicias manus meum, licet à peccatorum maximo offeratur.

§. 12. *Amen dico vobis ubicunque predicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur & quod hac fecit in memoriam eius. v. 3.*

O Discipuli! opusne est ut Christus tantis confirmet mulierem hanc bene fecisse, dicendo *Amen*, & comminando, quod etiam si vos modo traducatis factum eius, tamen alii in toto mundo sint laudaturi post mortem suam, hanc mulierem non alia, quam sancta intentione hoc unguentum effudisse in caput Iesu!

Ah quantum molis est inducere hominem ad credendum! ipse Dominus & Deus ipsorum dicebat, & illi tardierant ad credendum. Ah, mi Deus, quoties te intus & extra clamantem audiui & audio, & tamen vix induci possum, ut credam verbis tuis, & inspirationibus sanctis, ut vel relinquam ad momentum iniquitates, & iniquum propositum meum. Tu doces clare, tu inspiras, tu moves varijs efficacibus & terribilibus argumentis cor meum, & tamen non moveor ad consentiendum tibi quasi non ita esset, uti inspiras. Ah Domine doleo, quod non magis huc usque voluntatem meam tuis verbis & sanctis inspirationibus submiserim: Commove potenter divina virtute tua ex hac hora cor meum, quod tibi uni presento, ut ijs assentiar, quæ proponis, sunt enim omnia suavia, sana, salubria & nulli nisi amentis aspernanda.

§. 13. *Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes Sacerdotum & ait illis. v. 14.*

Infidus discipulus, incredulus, obstinatus, amarus, ad hæc verba Christi surgit & abit à Christo Domino suo ad similes sibi infidos, incredulos, obstinatos, avaros principes Iudæorum non valens perferre excusationem Christi pro muliere hac, sed permanens in invidia sua & opinione propria, cogitat quomodo se vindicare possit, & hanc & suum suppressere magistrum, ut ipse perveniat ad divitias, ad quas avarie inhiabat, unde se insinuat adulator & proditor apud Principes mundi, qui terrenis intenti cœlestia respuebant sicut ipse.

De

Domine Deus, an non quotidie hoc fit: ut quis secularia lucretur, etiam saepe unicum teruncium, vel haustum vini, vel verbum luxuriosum, aut curiosam vestem, an non te deserit homo, tuam enim legem deserendo, deserit te.

Ah Domine nimis verum est hoc, peccavi veniam deprecor, gratiam imploro, post hac cautius discam mercari, & tecum manere, tuis verbis credere & obedire, ne in graviora incidam peccata, ut hic discipulus Iudas qui post invidiam vendidit ex avaritia Magistrum.

§. 4. *Et ait illis quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam: v. 15.*

Ecce malum quod sequitur ex passionibus inordinatis, nempe, mi Iesu, tui derelictio, ex derelictione tui proditio, ex proditione desperatio, ex desperatione mors violenta, & aeterna tandem damnatio. Audiamus unum ex his passione actis: *quid vultis mihi dare:* (1 Timot. 6. 10.) Ecce cupiditas! radix omnium malorum. nam petit stipendium, ad faciendum malum, quod malum? Et ego eum vobis tradam. quem eum? Dominum meum, & Deum vestrum, virum sanctum, Prophetam Domini, Messiam, quem vos odistis o Principes, eum ego discipulus eius vobis tradam ad occidendum, propter mercedem pecuniae. Quis iam neget pecuniae obedire: omnia

Quot Iudae adhuc hodie supersunt, qui ob pecuniae lucrum Christum in membris suis produnt, fidem sanctae Romanae Ecclesiae, extra quam nulla salus relinquunt propter conjugem, propter villam, propter officulum, quot inde oriri videmus proditiones, maledicta, coniurationes, falsas accusationes, furta, rapinas! & alia peccata quae animus horret referre enormia! Et quot hinc desperationes, quot mortes violentae, quot praedae inferni! id autem ideo, quia tibi nec fidere, nec te sequi voluerunt Domine.

Non mihi sic fiat precor mi Iesu, si seductus a te fors recessi ob avaritiam, vel etiam concupiscentiam, & ab ea in aliquod peccatum incidi, cupio emendare, & tibi deinceps adherere, tibi servire, miserere mei, miserere peccatoris, ne vel mors insperata, vel damnatio aeterna reum assequatur.

§. 5. *At illi constituerunt ei triginta argenteos. v. 15.*

Scitur ex communi adagio: *servitium oblatum & iniquum rard gratum esse vel ratum.* plane ita, video in Iuda, offert Iudaeis servitium iniquum, & petit mercedem iniquitatis. quid illi spoliunt pro iniquitate? triginta argenteos qui sunt sane pauci & viles praeter tanta mercede. Vide anima mea huius miseri illusionem, & miser hic, caecus ex avaritia & livore, sine fide, sine Deo tam paucos nummos acceptat pro mercede tantae iniquitatis, ut pro ea Dominum suum vendat, prodatur omnemque fidem frangat,
 & infc-